



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 265. Quid addendum sit circa excusationem ob pietatem vel majus bonum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

opposito, est duplo laboriosius quam aurâ sere-
nâ, viis siccis, vento secundo &c. Deinde aliqui
fine ullo labore & molestia equitant vel curru
vehuntur totâ die; alii mallent ire pedites: item,
aliquis maller conficere 12. horas in hoc equo,
quam 6. in illo &c. ergo non potest statui pro o-
mnibus regula generalis, nisi illa, quam dedi-
mus.

*Q. 265. Quid addendum sit circa excusationem ob 1345
pietatem vel majus bonum. R. Seqq.*

§. 1. Peregrinatio excusat, si fiat ex voto vel
præcepto Confessarii, & aliâ die commodè in-
stitui non possit, ita cum aliis Laym. l. 4. t. 8. c. 3.
n. 5. Addit cum aliis *Sanch.* in *Conf.* l. 5. c. 1. dub.
11. etiam illam peregrinationem excusare, quæ
ad Dei honorena valde utilis est, aut fit ex ma-
gno affectu pietatis, ita ut peregrinanti videatur
futura utilior quam jejunium, aut quia erit uti-
lis, v. g. ad lucrandas indulgentias in altero lo-
co; Item potest quis inire peregrinationem, li-
cet incurrit dies jejunii, si longa sit & alioqui
careret sociis; imò *Bonac.* de peccat. d. 2. q. 8. p.
1. num. 16. *Tamb.* num. 30. *Moya* t. 1. t. 6. d. 5,
q. 1. num. 22, & alii absolutè dicunt excusare o-
mnes pias peregrinationes, quia videntur melio-
res jejunio.

§. 2. Si quis ex pio fine se cruentè flagellet, præ- 1346
videns se ita debilitandum, ut jejunare non te-
neatur, *Palatios* & alii dicunt peccare, si non jeju-
net, sed probabilius excusant *Bonac.* p. ult. n. 9,
Sanch. dub. 12, *Moya* & alii cum *Tambur.* suprà,
quia hæc est honestissima fatigatio, quæ videtur
etiam ipso jejunio melior.

§. 3.

1347 §. 3. *Sanch.* dub. 13. cum aliis viris doctis dicit eos, qui frequenter concionantur, excusari à jejunio pridie & die concionis, quia hoc videtur requisitum pro robore necessario ad diu concionandum; idem tenet *Diana* p. 10. t. 11. R. 32., nec videtur dissentire *Castrop.* t. 30. d. 3. p. 2. §. 5. n. 11., licet id neget *Tamb.* n. 26., & saltem non videtur licere pridie coenare, si alterā die prius post meridiem dicet, quia vires per sequens prandium sufficienter reficiuntur. Idem *Sanch.* *Castrop.* & alii viri docti dicunt Magistros Grammaticæ apud nos, qui quotidie 4 horis docent, non teneri jejunare, plus quam tribus diebus de septimana, licet dicant se esse robustos: quod si aliquis eorum fuerit debilior, minus aut nihil te-nebitur; estque, inquit *Sanch.*, causa sufficientissima, ut cum illis omnibus dispensent Superiores.

1348 §. 4. Si quis jejunans plus vexetur temptationibus carnis quam non jejunans, non ideo excusat tur à jejunio, per se loquendo, ut recte *Bonac.* n. 15., tum quia aliter vinci possunt temptationes, tum quia non tam nascuntur ab inedia quam à phantasia inde apprehendente causam, aut forte etiam à dæmone volente per hoc deterrere à jejunio.

1349 Q. 266. *An omnes Monachi excusentur à jejunio.*
Bz. 1. *Caram.* in *Th. fundam.* tom. 1. fol. 537. proponit & petit sibi solvi hanc rationem dubitandi: Musici à jejunio excusantur, sed omnes Monachi sunt Musici, ergo omnes Monachi excusantur à jejunio. *Majorem* docent f. *Sanch.* d. 44. n. 18. *Diana* p. 1. t. 9. R. 1. *Tamb.* n. 26. *Mino* retiam est vera, nam æquè canunt ad notas, & quidem